



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XLIII. Cur Transfiguratio evulgariante Resurrectionem prohibeatur? Dominica II. Quadragesimæ. Præcepit eis Jesus dieens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

# PROBLEMA XLIII.

Cur Transfiguratio evulgariante Resurrectionem prohibeatur?

## DOMINICA II. QVADRA- GESIMÆ.

*Præcipite eis IESUS dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. Matth. 17. v. 9.*

S. I.  
Causæ  
tres, cur  
visionem  
taceri ju-  
beat Chri-  
stus.

**D**osteaquam Salva-  
tor Petro claves  
prope Cæsaream  
Philippi promisisset, progressus inde  
per viginti leucas  
seu viginti horarum  
iter, sex dies insumsit, ut perveniret  
in montem Thabor, in quo transfigura-  
tionem suam voluit celebrare: *post dies sex assumit*, ait Matthæus,  
quia post sex mundi ætates futura  
est resurrectio, quæ est Rabani cau-  
sa analogica, Symbolica verò Orige-  
nis, ut significaretur, quòd solus is  
possit ascendere montem Domini  
& intueri gloriam Verbi DEI, qui res  
mundi omnes sex dierum spatio  
conditas transcendit. Transfigu-  
rari autem voluit in confirmatio-  
nem eorum, quæ Petro promiserat  
& in præmunitionem adversus  
scandala secutura & cruces Aposto-  
lis paratas. *Transfiguratus est Do-  
minus*, ait S. Leo homil. de Transfi-  
gurat. *ut de cordibus Discipulorum  
crucis scandala tolleret, & non con-  
turbaret eorum fidem voluntariæ hu-  
militas passionis.* Tropologicam  
causam dat Cornelius hic: Voluit

Christus typum dare transfigura-  
tionis animæ peccatis nigræ in lu-  
cem gratiæ per quam Christo con-  
figuramur. Tam magnifica hæc  
fuit transfigurationis gloria, ut si  
quid unquam videri in mundo di-  
gnum fuit præ triumphis Roma-  
norum, pyramidibus Ægyptiorum,  
hortis Babyloniorum, ritibus Pon-  
tificum Hebræorum, digna hæc fu-  
erit transfiguratio Thaborea, tan-  
quam umbra illius gloriæ, quam  
oculus non vidit, nec auris audivit,  
nec in cor hominis ascendit. At  
cur eandem revelari ante Resurre-  
ctionis diem Dominus prohibet?  
non prohibet audita referri, sed visa  
narrari, quæ causa? Respondent  
in primis Doctor maximus & ora-  
tor aureus: *non vult hoc in populis  
predicari, nè incredibile esset pro rei  
magnitudine & post tantam gloriam  
apud rudes animos sequens Crux  
Scandalum faceret.* Ingeniosius D.  
Hilarius revelationem tantæ gloriæ  
prohibitam Apostolis, eò quòd lin-  
gvas nondum haberent, quibus  
condignè eandem enuntiarent. Ex-  
pectandus itaque Spiritus Sancti  
adventus erat, qui in dispersis lin-  
gvis

S. Hieron.  
apud Syl-  
veir. to. 4.  
l. 6. c. 8. q.  
33. num.  
269.

gvis facultatem faceret congruè depromendi, quæ fidelibus oculis commissa fuerant: *silentium rerum gestarum, quas viderant, imperat, ut cum essent Spiritu Sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent.* Ad sensum & gustum meum aptissimè D. Remigius pronuntiavit evulgationem visæ gloriæ prohibitam, nè Dominica Passio impediretur, si enim nota populis fuisset gloria & majestas Salvatoris, nunquam ad ignominiam crucis eundem postulassent, teste Apostolo: *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* 1. Cor. 2. v. 8. verba D. Remigii sunt: *si majestas illius divulgaretur in populo, populi impedirent dispensationem passionis ejus, resistendo principibus Sacerdotum, & sic redemptio humani generis retardaretur.* quam causam impositi silentii præcipuam fuisse non obscure insinuat D. Marcus, dum post recensitam comminationem, nè cuiquam, quæ vidissent, narrarent, subdit: *cæpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis multa pati & reprobari à senioribus,* ex quo colligo ingens & ineffabile desiderium Christi, quo ad passionis & crucis tormenta anhelabat, nec ulla ratione retardari volebat. Quod desiderium dum fusiùs hodie expono, de tempore dictionem fore confido, cum & Thaborei colloquii alia non fuerit materies, quàm excessus, quem JESUS in Jerusalem erat completurus.

S. 2.  
Cruz fuit  
Christo  
prandium  
& quies.

Cant. I. movet sancta curiositas cœlestem Sponsam inquirendi: ubinam dilectus agat, ubi prandeat, ubi à prandio quiescat: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* quin potius ò Sponsa desidera scire ubi coenet, ubi pernoctet, ubi dormiat nocturno tempore. cur meridiem potius quæris quàm ve-

sperum? Nimirum de cruce Salvatoris sui somniavit; in Cruce horâ diei Sextâ, hoc est meridie, extendendum scivit, ideòque ad illius amplexum anhelavit. Sed si Sponsa tempus crucifixionis requirit, cur horam illam prandii vocat & quieris: *ubi pascas, ubi cubes?* famem ibi patiebatur & sitim, tribulationem & dolorem, hoc cine pasci, hoc cine cubare est? affirmat Episcopus Ostiensis Drogo de Pass. Dom. *In Cruce manducavit & bibit, & ebriatus est & dormivit,* quia desiderio suo, quo ad dolores ferebatur, indulgit & liberalissimè satisfecit.

Requievisse ab omni opere DEUM die septimo credo ex Gen. 2. v. 2. at quæro: cur post cœlum stellis exornatum non quieverit in cœlo, cur post vestitam floribus terram non quieverit in terra, sed postquam hominem creavit, quietem sibi indulgit, quasi homo sit Creatoris sui requies, consolatio, deliciæ? *Fecit cœlum & non lego quòd quieverit, fecit terram, solem & lunam & stellas, & non lego quòd quieverit, lego quòd fecerit hominem & tunc requievit* inquit S. Ambrosius. homo nimirum requies DEI, sed cur? quia ad formam Crucis hæc rationis & amoris capax creatura condita est. *Homo ad formam Crucis* (ait S. Anastasius Sinaita l. I. anagogic. contemplat. in Genes.) *habet imaginem, ut qui sit ad imaginem Christi crucifixi.* hæc est quietis divinæ causa potissima, & tua ò homo consolatio maxima, quòd in te DEUS quiescat & agat Sabbatum, quoties tribulatione cor tuum est gravatum. hoc videlicet grabatum Sponsi est, cor gravatum dolore. Dicamus nunc Sponsæ & indicemus, ubi pascat, ubi cubet Dilectus in meridie, videlicet in medio terræ, & centro votorum suorum cruce quiescit.

Cum primùm in lucem editus  
ex

S. 3.  
Cur post  
hominem  
conditum  
quieverit  
DEUS.

S. 4.

Cur Christi  
in præsepio re-  
clinatur.

ex Virgine fuit DEUS-Homo involu-  
it cum sollicita parens pannis & re-  
clinavit in præsepio Luc. i. v. 7.  
Quodd parvulum ex sinu suo dimise-  
rit Mater, ratio fuit, nè videretur so-  
li Virgini esse natus & donatus, sed  
omnibus ac singulis. bona commu-  
nia ad se suosque coarctare non est  
Sanctorum, inquit Author recens,  
ideoque Sanctorum Regina liben-  
ter aliis thesaurum cœli & Bonum  
bonorum optimum indulgit reclin-  
ando in præsepio. Verùm cur in  
præsepio reclinatur & non in cu-  
nis? *ut reprobet gloriam mundi &  
damnet seculi vanitatem* S. Bernardus  
ser. 3. de Nativitat. *Ut bos cog-  
noscat possessorem suum & asinus  
præsepe Domini sui* S. Gregorius  
Nyssenus: *ut populorum Pastorem  
pabulumque se esse contestetur.* S. Le-  
no. ser. 3. de Nat. *ut ex hominum  
generebis, qui bestiales erant commu-  
nicationem Esca mystica exhiberet, in  
mensa bestiarum proponebatur Panis  
cœlestis.* Chrysippus Hierosolymita-  
nus. Præ omnibus causis illa præ-  
placet, quam ex Serm. 11. Petri Da-  
miani eruit ingeniosus: in  
præsepio reclinatur, quia fœnum &  
palea inter se promiscuè convolu-  
tæ crucularum plurimarum figuras  
referebant. delicatulus erat Neoge-  
nitus & tenerrima membra, imma-  
tura cruci, gerebat, vagit idcirco &  
optat: ah non denegentur saltèm  
mihi cruces stramineæ, donec li-  
gnea præparetur. hæ interim mi-  
hi locò pignoris erunt, & somnum  
dulcem conciliabunt. audiamus  
Cardinalem: *Christus in præsepio  
reclinatus, legem martyrii præfigebat.*  
quasi diceret, incepit jam cruces pa-  
ti & martyres docere, ut si necdum  
ferre possunt cruces ferreas, ferant  
stramineas.

S. 5.  
Cur in Æ-  
gyptum  
fugerit.

Tam avido crucis amatore im-  
misit paulò post Pater æternus fer-  
reas easque plurimas cruces, exer-

citum, videlicet integrum Herodia-  
næ malitiæ, qui punctim cæsimum  
natum Regem judæorum confice-  
rent & unum in multis millies tru-  
cidarent. Jesulus interea nocte in-  
tempestâ se proripit & in Ægypto  
asylum quærit. quid hoc? *qui mori  
venerat, cur fugit mortem?* quæro  
cum Petro Chryologo serm. 150. &  
151. *fuga Christi sacramenti fuit non  
timoris. ideo fugit, quia ipse non ele-  
gerat hoc genus mortis* ait Alcuinus  
in Cat. S. Thomæ. Crucem elege-  
rat, ut esset ultima linea vitæ, cen-  
trum amorum, mensura dolorum.  
*Dignatus est in Ægyptum fugere, ut  
postea crucem dignaretur ascendere*  
ait S. Fulgentius serm. de Epiph.  
Non aguntur illi Christi Spiritu, nec  
sequuntur fugientem, qui ideo cru-  
cem parvulam amplectuntur, ut  
effugiant majorem, ideo mortem  
optant, nè plus pati oporteat, ideo  
coram aliis se humiliant, nè molesti-  
am aliquam sustineant.

Joannis 7. invitabant patriotæ  
Christum Dominum, ut unâ ascen-  
deret ad diem festum, quibus ille:  
*Vos ascendite ad diem festum hunc,  
ego autem non ascendam, quia meum  
tempus nondum impletum est* v. 8. qua-  
si diceret, ut habet Maldonatus: in  
hoc die festo tabernaculorum non  
ascendam, quia non id mihi ad pa-  
tiendum constitutum est tempus,  
sed in festo paschæ, quo festo passu-  
rus sum. Ecce Christi festum est  
pati, *tempus meum nondum est,* nec-  
dum desideratissima mea solenni-  
tas illuxit, quâ operer salutem ani-  
marum & immoler pro mundo.  
Tangit hanc veritatem S. Augusti-  
nus ser. 139. de temp. *Dies festus  
est ei, quo mundum redemit: dies fe-  
stus est ei, quo vicit mortem: dies fe-  
stus est ei, quo sanguinem consecrauit.*  
Prior Augustino Origenes sensit i-  
dem hom. 25. in Numer: *DEUS ha-  
bet festivitates suas, est enim ei magna*  
fe-

S. 6.  
Festus  
Christo is  
dies est  
quo pati-  
tur.

*festivitas humana salus.* Nullus unquam mortalium ita desideravit diem solennem & jovialem, quam Christus diem passionis suæ & redemptionis nostræ, quia *Servatoris nostri gaudium est salus hominum* inquit Theodoretus.

§. 7.  
Moræ  
quodam  
modo im-  
patiens  
Christus  
est, ad ho-  
ram passi-  
onis.

At verò posteaquam desideratum tempus illuxit, quantam præfetulit lætitiã & mentis excessum! *Ecce ascendimus Hierosolymam & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas* Luc. 18. ubi obfervo, quòd non dixerimus, proficiscemur, sed *ascendimus*, fursum pergimus, in altum properamus, quia pergimus in traditionem, illusionem, flagella, sputa, mortem. hæc nimirum elevabant & gloriosum reddebant DEi Filium, inde ingens in animo ejus lætitiã & quasi impatientiã moræ, quam colligo ex verbis Joan. 15. ad traditorem: *Dicit ei Jesus, quòd facis fac citius*, perfice quantocyus obfirmatum animi tui decretum, mihi omnis mora plusquam hora, & quævis hora jam sæculum est, dum perficiam opus Patris, quemadmodum belli dux duellum initurus cum antagonista, quoad animum ac vires longè inferiore festinat, quia certam habet victoriam &c. ita explicat Christi desiderium Cyrillus Alexandrinus: *nam quemadmodum si vir fortis, adversus quem fremens quispiam feratur, ipse verò viribus suis fretus casurum illum non dubitet, magnâ voce militans dicat, quòd facis fac citius, ut meæ dexteræ vires experiaris, non merè properantis verba esse dicemus, sed præscientis potiùs quam cadat adversarius.* præcivit nimirum Jesus, quòd ex sua tristitiã nostrum nascetur gaudium, ex opprobriis gloria, ex morte vita, ex suo naufragio nostra securitas, ex passione nostra festivitas, anhelabat proinde ad hanc solennitatem. *quòd fa-*

*cis fac citius*, ut ad opus tantæ solennitatis (subjungit Cyrillus) citius pervenire possim. Atque ut citius perveniret, dimidiari ætatem sibi voluit, inque vernantissimo ætatis flore consummari juxta illud Habacuc: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud, in medio annorum notum facies.* quod est annorum medium? ex Psalmo 89. v. 10. & 11. liquet: *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni.* in potentatibus Christus est, quia Rex regum, debentur ergo illi octoginta anni, verum quia pauperem ultro vitam elegit, demus illi septuaginta annos; horum medium annus tricesimus quintus ætatis est, anno ergo quinto supra trigessimum moriendum Christo erat, nisi ille à Patre suo cœlesti dispensationem, ut sic dicã, obtinuisset: (quemadmodum pro accelerando sacerdotio privilegium ætatis nonnulli hodie impetrant) quòd citius cruentum corporis sui sacrificium in ara crucis litaret.

Habac.  
3. v. 2.

Hoc desiderium liquet ex illo Matth. 16. quando Dominus Apostolorum primum vocat Sathanam: *Vade post me Satana, scandalum mihi es* (pondera verborum singulorum gravitatem, nec causam à Domino quære, nè iratus te vocet Luciferum, qui dilectum Apostolum vocavit Sathanam) Judam verò amicum. Causam attingit S. Hieronymus in catena. *quasi diceret meæ voluntatis est & patris, ut pro hominum salute moriar, tu tuam tantum considerans voluntatem non vis granum tritici cadere in terram, ut multos afferat fructus, & ideo quia contraria loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari: Sathanas enim interpretatur Adversarius, sive Contrarius.* Judas verò quia procuravit, effundendi sanguinis acce-

§. 8.  
Petrus cur  
Sathanas  
dicitur, Ju-  
das verò  
Amicus.

accelerationem, amicus audit. *Amicum vocat*, ait Jansenius concordant Evangel. c. 1. v. 37. *non quod ab ipso diligeretur, sed quod ipsum diligeret, eique bene vellet, & de ejus perditione doleret, aut etiam quod hactenus secum tanquam amicus vixisset, atque etiam nunc velut amicus & salutaret & osculum præberet.*

Non nisi semel Christum cantasse lego, idque ante passionem, quando hymno dicto exierunt. scimus ex S. Augustino. in Ps. 71. hymnos esse laudes DEi cum cantico. qui enim cantant laudem, non solum laudant, sed etiam hilariter laudant. non sat erat Christo laudare Patrem, quod dies passionis adveniret, sed laudare cum cantu hilariter. & quem putas hymnum cecinit? si Paulo Burgensi credimus, unius instar hymni fuerunt Ps. 112, 113, 114, 115, 116. & 117. hoc est: *in exitu de Agypto. Dilexi quoniam exaudiet. Credidi propter quod locutus sum. Laudate Dominum omnes gentes. Confitemini Domino.* quia omnes incipiunt ab Alleluja quod significat: *laus cum lætitia.* hos Psalmos in majoribus solennitatibus canere solebant Hebræi, atqui nulla Christo major solennitas, quam pro nobis pati.

Sed quid hoc sibi vult, quod post hymnum absolutum cæperit Iesus in horto tædere, pavere & molestus esse, quod videtur esse contra rationem festi, imò & contra decentiam viri constantis, dicente Salomone proverb. 12. *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei.* & monente Ecclesiastico c. 30. *tristitiam non des animæ tuæ, tristitiam longè expelle à te, multos enim occidit.* respondet Ambrosius l. 10. in Luc. *Tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas duros.* tristatur non propter se, quia de ipso vaticidicè Isaias: *Non*

*erit tristis neque turbulentus, sed propter reprobos: imò & propter electos, ut divina Iesu tristitia esset Electis lætitiæ causa, & origo stabilis salutis juxta id Apostoli. Quæ secundum DEum tristitia salutem stabilem operatur.* Tristabatur atque dolebat anima Christi, inquit Dionysius Carthusianus. (loquendo de tristitia prout est actus virtutis, & charitatis) propter eos, in quibus fructum passionis suæ perire videbat.

Tristitiam excepit trihoraria oratio, in qua calicem à se transferri postulabat. & quid hoc iterum sibi vult, si tantus amor crucis est? Cur (libeat quærere cum S. Hilario) *calicem à patre propinatum bibere recusas?* S. Augustinus putat orasse Christum, ut dolor, qui sentiebatur in animo, dispergeretur etiam per corpus, *Transseat, hoc est ab anima ad corpus.* V. Beda ideo sic orasse Christum autumat, *ut ostendat verè quod homo erat.* Cajetanus: *ut naturalem affectum ostenderet.* S. Hieronymus per calicem intelligit populum Judæorum, qui rejiciendus, imò ut Drutmaro placet, qui servandus hac prece fuerat. S. Hilarius, *non ut ipse prætereatur orat, sed ut in alterum illud, quod à se transit, accedat.* optimè S. Laurentius Justinianus de triumphali agone Christi existimat, quod eâ oratione desideret Christus transire à se calicem & venire totum in se mare (*veni in altitudinem maris* Ps. 68.) sicuti si Medicus sitienti ægroto proponeret vas frigidâ plenum, ex quo bibat ad sitis extinctionem; mandet autem interea assistantibus, ut non nisi guttulas præbeant; quid tunc æstuantissimus æger? dicit; aut totum vas à medico propositum afferte, aut guttulas auferte. Ità Christus: *transseat calix, instar guttulæ, veniat mare &c.* verba S. Laurentii sic habent: *Hæc pro*

2. Cor. 7.  
v. 10.

§. 10.  
Cur calicem petat, transferri.

§. 9.  
Ante passionem  
Christus  
cantat,  
mox moerret, cur?

*pro electorum salute patior, ista pro tuo honore sustineo, verum quia parva videntur adde flagella, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percutite, occide! uni-versa hæc & majora toto desiderio sitio.*

Vix gustare bene cœpit passionis calicem Salvator, quando ei bolum ferreus deglutiendus, tanquam congrua haustui ossa offertur, & ferreâ alapâ cœditur. Increpat cœdentem IESUS, causamque cœsuræ exostulat: *cur me cædis?* quin potius cur non taces ô IESU & bolum hunc opiparum cum gustu devoras? causam perquam ingeniosam hujus postulati insinuat Ephrem Syrus l. 5. *omnes servi cum libertate donantur, alapam accipiunt.* formam servi acceperat Christus, ut verâ nos libertate donaret, servilibus modis tractari & crucifigi optabat, verum cum ab initio statim passionis libertatis signum & quandam velut absolutionem à tormentis, à cruce, à servitute accipere videretur, non acceptavit, ideóque in hæc verba erupit: *cur me cædis?* malo pati quàm vivere, malo crucem quàm libertatem, malo patibulum quàm thronum.

§. II.  
Cur flere  
verentur  
mulieres.

Pervenerat prope ad apicem gaudiorum, montem videlicet Calvariæ. Redemptor noster toto corpore lacer, gelido sanguine cooperatus, cruce gravissimâ oneratus, viribus omnibus destitutus, sputis defædatus, spinis compunctus, catenis circa collum & lumbos ligatus, fustibus, palmis, calcibus pessimè tractatus, quem sequebatur multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum Luc. 23. & quis nõ lamentaretur. quis est homo, qui non fleret, Regem Regum si videret in tanto supplicio? At respiciens Filius DEI lacrimas inhibet: *nolite flere super me.* O Domine quis continebit lacrymas, si

videat & credat justitiam velut maleficam raptari ad patibulum, innocentiam duci ad supplicium, agnum lacerari à lupis, nec aperire os suum, columbam configi ab accipitribus, nec edere gemitum, DEUM conculcari à lurconibus & tace-re, Regem optimum occidi à rebel-libus nec se tueri? imò Christus: *Nolite flere.* vultis causam ô filiæ Jerusalem? hæc est dies quam fecit Dominus, dies Salutis, dies uni-versalis jubilæi, dies triumphi & festivitatis. Hanc causam assignavit D. Leo ser. 10. de pass. Domini: *istum sibi plandum Dominus IESUS dedignatur impendi, quia non decet luctus triumphum, nec lamenta victoriam.* Est crux Christo instar cur-rus triumphalis in quo festivissimam agit Solennitatem, *in cruce enim immolatus est Christus, & ubi immolatio, ibi amputatio peccatorum, ubi amputatio peccatorum ibi reconciliatio Domini; ubi reconciliatio, ibi festi-vitas & omnis gratulatio,* non flendum proinde sed gratulandum. Hæc Chrysostramus.

S. Chry-  
sost. ho-  
mil. de  
Cruce.

Inclinabatur jam solennitatis purpureæ dies, & Sol justitiæ in sanguineo mari hærebat, occasum parabat, cum ecce exclamat! *DEUS meus ut quid dereliquisti me.* quid sibi vox ista vult? An quia ut dixit Hilarius: *morti permissus solitudinem suam conqueritur, relinquentesque se arguit?* Non estimes inquit Origenes apud Jansenium in concord. Evangel. c. 145. *humano more Salvatorem ista dixisse propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce. forsitan videns peccata hominum pro quibus patiebatur dixit: quare me dereliquisti.* præclare Rabbanius ibidem: *Humana natura propter peccatum à DEO fuerat derelicta, sed quia Filius DEI factus est noster Advocatus, quorum suscepit cul-*

§. 12.  
Cur derelictum se  
clamet.

culpam, deservit miseriam, in quo ostendit quantum flere debeant qui peccant, quando sic servit, qui non peccavit. Theodoretus hic: Hoc loquitur Homo crucifixus DEO pro me, nos enim sumus homines derelicti, ipse nunquam derelictus fuit à Patre. sed omnium optimè Beda in c. 27. Matth. conqueritur Christus non propter tormenta, quæ patitur, sed quia non ei concedit longiorem vitam, ut plura pati possit. Idem homil. de querel. Christi. Christus ex vi tormentorum suam mortem accelerare videns, volens diutius pro nobis sufferre tormenta hanc amore refertam querimoniam proposuit Patri: Pater cur tam citò me mori disposuisti? cur non moras protrahis, ut magis magisque pro hominum salute adhuc cruciarer? queritur se à Patre derelictum, quando videt nihil superesse quod pateretur, quasi doceret eos à Patre cœlesti derelictos, quos crux & calamitas fugit.

§. 13.  
Cur capite  
inclinato  
expiret.

Denique cum jamjam obeundum foret, inclinato capite tradidit Spiritum. cur caput inclinavit, causam reddit Alphonsus Cardinalis Palleotus de pass. Christi: *Inclinato capite Christus omnes sui corporis partes lustrat, an aliqua sit pars, quæ passa non esset. vidit latus dextrum, quod non ita passum videbatur & vulneri locum aperuit, ut cor feriat.* Delingva ser. 14. de pass. S. Bernardus: *tractis membris omnibus dulcis JESUS voluit puniri & linguam & ad penam linguæ sufficit arietum gustasse.* Pelbartus l. 3. p. 3. a. 2. c. 2. *sola remanserat lingua & cor aperitur lancea.* Atque hoc immensum patiendi citra solatium vultum Dei-Hominis desiderium ex illa circumstantia collige, quod moriens adstantem habuerit Matrem, cœnans non habuerit accumbentem. Quærit S. Paschasius an cœnæ ultimæ adfuerit DEi-para, atque

an triduo illo hostia superfuisset consecrata? Ad utrumque respondet negativè: *in ultima cœna corpus Christi non accepit MARIA, nè hujusmodi consolatione passionis dolores minuerentur.* Hostia verò nulla superfuisset, ut undequaque pati diceretur, inquit Drogo Hostiensis, nè scilicet simul videretur à populo, adoraretur ab Apostolis & luctui miscere gaudia cogeretur.

Drogo  
Host. de  
pass. Do-  
minica.

Colligere ex his omnibus facile est desiderium Christi immensum, quò erga passionem & crucem ferebatur, ideòque transfigurationis gloriam evulgari vetuit, nè à populo passionis dispensatio ex mente Remigii impediretur. ò si in nobis quoque simile exardesceret desiderium compatiendi passio, & crucem illius desideratissimam nostrò ferendi in corpore.

§. 14.  
Gloria-  
tur in Cœ-  
te Angel.

Vidit Isaias Dominum sedentem super folium excelsum & elevatum c. 6. *Seraphim stabant super illud.* Cyrillus Alexandrinus l. 1. orat. 44. legit: *stabant circum eum.* nimirum Ephëborum instar coronabant Dominum suum ad omne amoris obsequium paratissimi. cuperem scire quo situ steterint? *sex alæ uni* (vide promptitudinem, *duab; velabant faciem*) vide verecundiam (*duabus pedes*) adverte humilitatem (*duabus volabant;*) hic ingens considero mysterium; disponuntur eâ formâ alæ ut crucem effigient; idcirco binæ alæ eriguntur in faciem, binæ demittuntur in pedes, binæ verò ex utroque latere extenduntur, ut crucis formam repræsentent, quid facit Crux in cœlesti folio, quæ est maleficorum fatale solum? quid facit crucis ignominia ante Regem gloriæ? quid faciunt ministri misericordiæ cum severæ justitiæ instrumento? Non possum hanc aulicorum cœlestium cerimoniam satis explicare, nisi ad aliam militantis

LI

Ee-



Ecclesiæ cerimoniam recurram, quâ terrestres Angeli, Sacerdotes inquâ, dum Angelorum panem confecerunt in altari, iteratis crucibus, tum calicem simul & hostiam, tum hostiam seorsim & calicem, quin & hostiâ ipsâ calicem consecratum toties signant, ut crucem non minus octonis denis vicibus in quolibet sacrificio numeraveris. ad quid tot cruces & quidem super sacrosanctam Eucharistiam? num Sacerdos benedictionem impertit Christo, minor majori? atqui hoc ipsum leges vetant, nam minor majore præfente benedicere non debet. Durandus l. 5. c. 59. n. 10. in Rat. div. offic. & Paulus irrevocabiler ad Hebr. 11. legem fixit: sinè ulla contradictione, quod minus est à meliore benedicatur. Solvit difficultatem Rupertus Abbas Tuit: Non sunt benedictiones sed Crucis efformationes. Efformatur autem crux, siquidem nihil acceptius Christo representari potest quàm Crux & mors ipsius, cujus memoriale est Eucharistia. In gloriam DEO-Homini maximam formatæ illæ cruces cedunt, signum enim sunt præfentis magni Regis, qui est Rex gloriæ; eapropter S. Hilarius in c. 16. Matth. affirmavit tot cruces ideo fieri ut homines Sacramentum Crucis admistum esse gloriæ agnoscerent. Ex eadem causa Seraphini cerimonias curiæ cœlestis edoctissimi expansis

alis crucem effigiant, quia magnificentius & gloriosius nihil exhiberi DEO posse optimè noverunt. Signemus & nos frontem, os pectus, membra singula, si gloriæ cœlestis candidati esse volumus, & qui digni non sumus crucem portare post JESUM cum Cyrenæo, portemus saltem umbrâ illius in corpore nostro.

Pro emblemate Cupidinem ebrium in cruce dormientem fingo & in protensam dexteram calicem infero cum epigrahe: *requies hæc certa laborum.* Cupidinem ajunt fabulæ inebriatû aliquando, quævisse lectulum, cûmque alius præmanibus non esset in obviam fortè crucem reclinâsse caput & clausisse lumina ad dulcem quietem; supervenit Jupiter & à profundo somno frustra Cupidinem excitans, alas eidem subtraxit & lectulo Crucis alligavit, ut nunquam esset sine cruce. ingeniosa fabula! Amor incarnatus charitate ebrius in cruce obdormivit, quem Pater cœlestis ita volentem cruce alligavit, ut absque ea inveniatnr nunquam, nunquam non in eadem sibi suisque dulcissimum conciliet soporem & quietem. Ad damus dormienti Amori Seraphinos in modum coronæ, alis in formam crucis expansis cingentes dormientem, adscribamûsque centro hujus circuli: *hic scopus est amorum.*

S. 15.  
Emblema.



PRO-